

**Brutorum animas esse substantias, & quidem corporeas, brevi
dissertatiuncula demonstrat, / eamque praeside ... Joh. Christophoro
Sturmio ... publice defendet autor & respondens Johannes Schnapperus ...
Ad diem 2. Junij, anno epoch. Christ. M. DC. LXXXIII.**

Contributors

Sturm, Johann Christophorus, 1635-1703
Schnapperus, Johannes

Publication/Creation

Altdorffii : Literis Henrici Meyeri, [1683]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d7nw6vuu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

16

BRUTORUM
ANIMAS ESSE SUBSTANTIAS,

& quidem

CORPOREAS,
BREVI DISSERTATIUNCULA
demonstrat,

Eamq;

Præfide,

VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMOQ;

DN. JOH. CHRISTOPHORO
STURMIO,

Philos. M. Mathem. & Physices in Alma hac Norim-
bergensium Universitate Altdorffina Prof. Publ.
undiquaq; Famigeratissimo,

DN. PATRONO & PRÆCEPTORE
æternum de-venerando,

Adversus Contrasentientium argumenta
publicè defendet

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES SCHNAPPERUS,
Gienga-Suevus.

Ad diem 2. Junij, ANNO EPOCH. CHRIST.
M. DC. LXXXIII.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

Inclutæ ac Liberæ

S. R. I.

Reipublicæ ULMENSIS

Illustri

GYMNASIO.

VIRIS

NOBILISSIMIS, SUMME REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EX-
PERIENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CLARISSIMISQ;

DN. DIRECTORI,

DNN. SCHOLARCHIS,

DNN. PROFESSORIBUS,

DNN. VISITATORIBUS,

& ceteris Ejusdem

DNN. PRÆCEPTORIBUS,

*DNNN. Meis Mecenatibus, Evergetis, Fautori-
bus, & Promotoribus, summa animi submissione
sanctè devenerandis,*

Hoc quaecunq; Exercitium Academicum,

in mei meorumq; studiorum commendationem ul-
teriore, grata mente & observantia debita

do, dico, confecro

JOHANNES SCHNAPPERUS,
Aut. & Resp.

Anteloquium.

Non ingrata, fateor, fuit Lectio illa, qua in Aristotelis Elenchis Sophisticis Lib. I. cap. I. p. m. 223. Tom. I. observabam: Quædam revera id esse, quod videntur, alia autem videri saltem, quæ tamen non sunt. Benevole igitur interpretaturum spero Lectorem, si malim, qui sum, qualiscunq; etiam sim, quam is, qui non sum, videri, & proprias experiri vires, quantulæcunq; illæ fuerint. Desidem enim ita delitescere, prohibebat tum ratio, quam temporis collocati scio esse reddendam Dominis meis Benefactoribus, tum etiam alia similis obligatio, quæ postulabat, ut desiderii Fautorum & Amicorum fieret satis. Quapropter præsentem hanc materiam, de **BRUTORUM ANIMABUS CORPOREIS**, tenuiter equidem elaboratam, in chartam conjicere, & pro Exercitio Academico potius, quam expolita magis & adcuratiora, aut venditare pro meis, aut publicè saltem Respondendo tueri ac defendere sustinui. Illud enim fallax & iniquum, hoc aliquanto difficilius: Cum promptius multo & expeditius quis ea propugnet, quæ ipsemet mente concepit, quam quæ ab aliis concepta, plerumq; conceptu evadunt difficiliora. Æqui igitur boniq; consules, B. L. hos meos conatus, & si opus ipsum non mereatur, voluntatem tamen respicies, Juxta illud Sulmonensis Lib. 3. Pont. Eleg. 4. p. m. 214.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Sit itaq; in sanctissimo nomine JESU!

THESIS I.

Variæ variorum, tam de hominum, quam brutorum animabus, hinc inde occurrunt sententiæ, quæ præterquam, quod erroneæ sint, etiam periculosæ existunt. Dantur enim, qui has pariter ac illas rationandi facultate quadam instructas credunt Antiquiores juxta & recentiores, tametsi gradu quodam rationis inferiore præditas statuunt, ut *Gassendus & Hieron. Rorarius*. Alii placidius se philosophari existimantes, immateriales & spirituales etiam Brutorum animas esse contendunt, ratione tamen carentes; ut *Henr. Morus Ench. Met. cap. 28. sect. 15*. Cum ex aduerso multi cum *Democrito, Leucippo, Empedocle, &c.* materialem hominis mentem æq; ac istas existiment; vid. *Arist. Lib. I. de An. c. 2 p. m. 469*. Quibus prælusisse jam olim *Anaxagoras* videtur, adserens, *eam esse mentem, insitam universis animalibus tam parvis quam magnis, tam præstabilibus quam minus præstabilibus. Aristot. loc. cit.* Quidam adeò deprimunt illas, ut è Substantiarum numero eximant, & misella saltem accidentia faciant, solâ hominis rationali anima excepta, ut *Cartesiani*, qui cum avtomatis comparant animalia, *Guil. Pembelius, & Adr. Heereboordius, Professor, dum vixerat, Lugdunensis*. vid. *ipsius Meletem. Philos. p. m. 162*. Ut adeò Sententiarum hæc divortia veritatem istius adserti *Arist. Lib. I. de An. c. 1. p. m. 467*. planè evincant; ubi: *Verum, inquit, omni ex parte atq; omninò difficillimum est, fidem tandem aliquam de anima accipere.* conf. *Scalig. Exercit. 307. Sect. 12. p. m. 896*.

II.

Nobis interim, ut anima hominis rationalis immaterialis & incorporea Substantia indubiis argumentis probatur; Ita Brutorum animas non materiales tantum, sed & materiatas & corporeas statuimus, neque adeò Substantiarum numero eximendas. Ita sc. inter hominem & Bruta insigne & notabile discrimen adparet, dum utrorumq; animæ, non nisi in hoc uno conveniunt, quod sint Substantiæ, in cæteris autem omnibus differant; ita hæ materiales & corporeæ, illæ immateriales & incorporeæ; hæ corruptibiles & dissipabiles, illæ incorrupti-
les

les & immortales ; hæ ratione & judicio destitutæ, illæ largiter hisce instructæ.

III.

Omne igitur nostrum munus in eo consistit, ut probemus, Animam Brutalem I. esse Substantiam, & II. quidem, Materialem quoque. Probata namque materialitate, ultro sequitur, eas esse corporeas. Substantiales igitur eas esse, probant nobilissimæ actiones percipiendi, imaginandi, reminiscendi, ac similes, quæ utique ab accidente non possunt provenire. Argumentamur. *A quo sunt nobilissimæ ille operationes percipiendi res sensibiles, itemq; memorandi & imaginandi, illud est Substantia & non accidens. Sed ab anima Brutorum sunt istæ operationes, E. Brutorum anima est Substantia, & non Accidens.* Excipit quidem *Adr. Heereboordius*, dicendo: Falli eos, qui ad Substantialem aliquam formam recurrant, ut possint rationem reddere operationum, quæ fiunt à Corporibus Naturalibus, cum hic sufficiant accidentia. Dicit enim expressis verbis: *Accidentia immediatè & per se posse agere, & non virtute alicujus formæ Substantialis.* Ad auctoris mentem melius intelligendam monemus, nobis in præsentia litem non esse de differentia inter animam & formam: Simpliciter enim non possunt recurrere. Nam v. g. Elementa habent formas, non item animas. Aliàs haud inviti largimur, etiam doctissimos viros his verbis in materia præsentia promiscuè uti, ut animam formam, & formam animam dixerint; quæ mens extra omne dubium etiam nostro *Heereboordio* fuit. Verum enim verò, ut propius rem ipsam adtingamus, *falsum est, & absurdum, accidentia posse immediatè & per se agere, absq; virtute alicujus subjecti Substantialis.* Quælo enim, *Adriane*, possuntne accidentia mera & misella agere sine substantia? Utut aliquis crederet, principium harum actionum effectivum esse variorum accidentium mixturam ac temperamentum, necesse tamen est, aliud substernere subjectum, in quo illa radidentur. Nam accidentium esse planè est inesse, imò secundum nostrum *Heereboordium* ipsum *ne quidem per absolutam Dei potentiam possibile est, accidens esse aut operari posse absq; subjecto.* vid. *Mel. Philos. p. m. 42.* Adhæc regerit *Heereboordius*: Utiq; substernendum est subjectum, in quo radidentur ista accidentia: *Et hoc sunt spiritus Animales.*

males. Quidni ergo his ipsis spiritibus potius; tanquam substantiali subjecto, animæ nomen tribuamus, quam qualitatum mixturæ in ipsis? Profecto, si spiritus iste animalis non tantum est organum, sed & primum principium omnis sensationis; si nulla alia est substantia in Brutis, quæ his spiritibus utatur, ut instrumentis sentiendi (quod utrumq; non adfirmat solum totidem verbis *Heerebordius*, sed *argumentis etiam ex Pembelio suo confirmat*, *Mel. Phil. Diss. 36. num. 8.*) hos ipsos spiritus animam Brutorum, atq; adeo hanc substantiam esse necessum est.

IV.

Demonstrato hoc modo, Substantias esse Brutorum animas, pergimus ulterius, quoad rem ipsam probaturi, quod *κατ' ἀνθρώπων* ex modo dictis jam eluceret, Earum Substantiam esse materialem & corpoream. Hoc autem suadet I. Earum in corpore organico existentium simul cum membris suis divisio, ita ut manifestas operationes, ipsis aliàs adtribui solitas, etiamnum post dissectionem edant. *Ita*, inquit *Clariss. Thom. Willisius* (vid. *tract. de Anim. Brut. cap. 2. p. m. 11.*) *lumbrici, anguille & viperae in frustra divise, aliquandiu se movent, & compuncta corrugantur.* Addi poterit huic & alia experientia, prout me edocuit *Excellentissimus DN. PRÆSES*, in prælectionibus suis privatis: Jusserrat alicubi Magistratus maleficum capite plecti: Eo peracto, cum sub vesperam cadaver, omnino jam, ut videbatur, exanime anatomico exercitio esset præparandum, ii, quibus hoc muneri competebat, non sine stupore observarunt, pollicem dextri pedis aliquoties motitari & incurvari. Ibi homines illi miraculum fingere, imò tanquam portentum & rem inopinatum inspicere, cum tamen ejus motitationis causam optimè faciamus, spiritus quosdam in corporis illa parte relictos. Et ne longius abeamus, adeat quis modo officinam Lanii, & nobiscum, persuasissimus affirmo, sentiet. Ibi enim Bovis v. g. in frustra jam dissecti carnes hinc inde se paullum movebunt & tremunt, ob causam modo adlegatam. Hæc ratio autem, qua à divisibilitate ad probandam materialitatem concludimus, tanti ponderis est, ut nulla firmior & major possit dari; *Esse vero divisibiles formas illas*, (sunt verba acutissimi naturæ indagatoris *Johannis Sperlingii*, vid. *Institut. Phys. p. m. 124.*) *partim interpretes, partim*

tim veritas ipsa monstrat. Adductis deinde in rem præsentem testimoniis Toleti, Conimbricensium, Zabarellæ, & Morisani, pergît laudatus modo autor: *Ex animalibus vermibus cum dissecatur, pars ad caput spectans, versus caput tendit, pars caudam adtinens, eandem versus se movet. Vespe cum dividuntur, vivit cum pectore caput, vivit etiam alvus. Vermiculus longior in decem & plures partes divisus & SENSUM & ANIMAM in omnibus ad tempus retinet particulis; stilo enim tactus torquet se ad doloris locum nec dolente parte una, quæ tacta fuit, simul dolet altera, quæ fuit intacta.* Hæc paulò prolixius ex B. Sperlingio, quoniam veritatem egregiè adjuvant, recitare visum est. Addi quoque possunt, quæ ibidem sequuntur; ut & Scalig. *Subt. Exerc. 246. sect. 1. p. m. 714. ubi se testem exhibet ἀνθρώπων.*

V.

Suadet II. Brutorum animas esse materiales, quod simul & semel diversas obeunt functiones per diversa organa, quibus adeò coextensas, & quoad sui diversas partes esse præsentis necessum est. Eodem enim instanti oculus videt, auris audit, nares olfaciunt, lingua gustat, & membra quævis exteriora tactus sensum & motum exercent, ac interea viscera quoque & præcordia munia sua exsequuntur. Hujus rei causa cum non sit alia, quam coextensorum spirituum præsentia, rectè etiam divisibiles eos & materiatis statuimus. Adhæc major hujus nostri argumenti vis patefcet ex eo, quòd revocato ex membris spiritu, mox illa & sensu & motu destituta commoriuntur: quod usque adeò plebejis quoq; hominibus notum. vid. *Cal. Rhodig. Lib. II. cap. 8. p. m. 65. G. conf. Willis. de accens. sanguin. p. m. 71.*

VI.

Sententia hæc, quo minus alicui absurda, aut in nostro saltem cerebro conficta videatur, autores habet viros quovis ævo doctissimos, non *Epicurum solum, Democritum, Laërtium, Lucretium*, (qui humanam etiam, sed absurdissime, eodem censu habuerunt,) sed etiam, si *Willisio*, credimus, *Hippocratem, Galenum, Platonem, Pythagoram*; & è modernis *Gassendum, Job. Ferneliu, Heurnium, Cartesium, Hogelandum, ipsum Willisium*, & quod mirearis *Honoratum Fabri* quoq; alias *Ἐπιπυθῆλονάτων*; Immo parum abest,

abest, ipsum *Peripati Ducem*, qui *lib. de Juv. & Senect. c. 2. p. m. 539.*
τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ ἐμπεριεργουμένου expressam mentionem facit.
 Quin imò ipse *sacer Codex Deut. 12, 23.* nobiscum facit, quando
 ita disertè ait: *Sanguinem esse animam.* Quæ opinio *Critiæ & Em-
 pedocli* alias adscribi solet. vid. *Arist. Lib. I. de Anim. cap. 4.* Ex-
 cipiunt quidem, (vid. *Meisn. Philos. sobr. P. 1. sect. 2. quest. 4.*) in
 hoc loco esse metonymiam adjuncti pro subjecto, & indigitari
 his verbis saltem *ὄχημα* sive sedem animæ, atque adeò explican-
 dum esse secundum ipsius Scripturæ explicationem, quæ exstat
Levit. cap. 17. v. 8. Anima carnis est in sanguine. *Lutherus* vertit:
Des Leibes Leben ist in seinem Blut. Sed Resp. Rectius hic quæri
 synecdochen partis pro toto, ut ita sanguis anima dicatur pro-
 pter spiritus, quos præsentés semper habet & actuosos, seq; vege-
 tantes. Quamvis quemlibet hic suo sensu abundare sinamus.

VII.

Nec improbabiler *Honorat. Fabri & Willisius*, è diversis li-
 cet principiis, animas illas Brutales cum Democrito (vid. *Arist.
 Lib. 1. de An. 2. p. m. 469.*) igneas crediderunt, quandoquidem
 omnes cum igne proprietates habent communes; Ignis autem
 proprietates statuuntur vulgò tres: Quarum I. hæc est, *ut igni
 quam primum accenditur, libera & continua aëris accessio concedatur.*
 Idq; non solum, ut effluvia vaporosa, flammam alias suffocatura,
 foras devehantur & perpetim decedant; sed etiam, Doctissi-
 morum Virorum judicio, ut pabulum nitrosum inde igni suppe-
 ditetur. Omnis enim ignis, uti constat particulis sulphureis,
 quas ex materia combustibili, oleo, sebo, ligno &c. elicit, ita
 quam maximè nitrosas in flammæ augmentum requirit. Aë-
 rem autem talibus esse refertum, extra dubium esse positum pu-
 to, suffragantibus præsertim tot tantisque autoribus, inter quos
 etiam *Cosmopolita, Digbaeus. &c.* vid. *Digb. Symp. p. m. 34. & 55.*
 Ut de ratione nunc nihil dicam, ignem intensius nunc ardere,
 nunc remissius pro variato aëris statu. Hyeme enim aër maxi-
 mè nitro abundat, adeoq; flammæ vis fortior conspicitur, æsta-
 te autem à Sole dissipantur particulæ nitrosæ, & ignis adeò dis-
 pergitur, ut vulgò à Sole exstingui credatur. Adhæc certum
 est, docente id ipsâ rerum Magistrâ, Experientia, cui refragari
 non

non licet, Vitriolum seipsum ex aëre restaurare; quod manifesto est indicio, aërem Vitriolo abundare. Quis inde non crederet, & nitrosas in aëre obvolitare? Accedit denique, quod necessitatem accessus liberi aëris plenius evincet: Si v. g. Lucerna accensa globo vitreo capaci immittatur, isque probè obturetur, ac deinde per antliam aër exfugatur, flamma paulò post, ubi priùs paulatim in ellychnio adscenderit, exspirabit. vid *Rob. Boyle Exper. Phys-Mech. 50.* Hæc quomodo ad animas Brutales possint adplicari, nunc dispiciemus. Par autem est hic aëris hauriendi necessitas; animalia enim præsertim calidiora, si respiratione prohibentur, citò emoriuntur. Nec est, quod alii obvertant, *exspirare animalia propterea, quod fuligines, aliàs excernenda, retineantur, quæ mole sua cor adgravent, & motum ejus inbibeant.* Verum enim verò falsum hoc esse & gratis fingi, ad oculum iterum demonstrat certissime antlia pneumatica; nam si mus v. g. Recipienti subponatur, aërque exfugatur, continuo mortuus quasi concidet, rursus verò aëre admissio, reviviscet: quod indubium est argumentum, non retentas fuligines, sed aëris negationem mortem intulisse.

II X.

Et ne quis existimet, in calidioribus & sanguiferis saltem animalibus id verum esse, in exsanguibus autem non item: Dicimus nos, & in exsanguibus rem ita habere, prout Nobilissimus ille Italus *Malpighius* experimento comprobavit. Subiit nempe illius animum Cogitatio, utrum erucæ v. g. etiam aëre ad vitam sustentandam haberent opus: Ea res cum videretur esse majoris indagationis, rem sequenti modo est adgressus: Ille vit oleum animalculi, vel si mavis, insecti hujus toti capiti, ibi nihilominus vivere pergebat; postquam autem guttulas olei complures per univèrsum dorsum destillaret, mori videbatur, quia spiracula per dorsum undiquaque aperta, hoc modo obstructa aëris admissionem vetabant. Ex quo colligere licet, etiam vilissima animalia, papiliones puta, muscas &c. quodammodo respirare: Id autem quomodo in singulis fiat, *haud ita facile quis determinaverit*: Sufficit interim nobis, probasse, indigere talia animalia ad vivendum aëris accessu, non quidem, *ut ignis vitalis refrigeretur, prout Aristoteles lib. de Juv. & Senect. cap. 3. p. m. 539. opinatur,*

natur, sed ut pabulum nitrosum inde suppeditetur, & fuligines foras extrudantur, quod præcedenti thesi jam dictum.

IX.

Pergimus ad II. ignis proprietatem, quæ hæc est, *ut ei perpetuum & constans pabuli sulphurei, quod depascatur, accedat supplementum*, quod si fuerit igni subtractum, aut alio modo depravatum, ilico intermoritur: uti videre est in lampade, quæ, oleo denegato, aut adfusa aqua, exstinguitur. Eodem prorsus modo res habet cum Brutali anima. Flamma enim vitalis cum semper magnam alimenti partem absumat, auferat, & alio amandet, necessario iterum vult restitui, prout quisque cotidie in se ipso experitur: Ideo edimus, bibimus, ut corpori sit suum pabulum. Adhæc variat per suos gradus calor hic vitalis pro variatione esculentorum: ita si nutrimentum fuerit tenue, aquosum, calor quoque remissior est; si verò sit valde sulphureum, ut vina generosa, cruor statim inflammatur, ac sæpius in apertum quasi incendium erumpit.

X.

Restat III. adhuc ignis proprietas, quam paucis quoque attingemus. Ea autem in hoc consistit, *ut, si flamma velit conservari, jugiter aliquid eventiletur*, nempe ut effluvia ejus fuliginosa continenter avolent, ignis suffocationem alias minitantiæ. Quod iterum ad oculum patet in lampade, vitro contactâ, quæ, quamdiu libero aëris accessu, fuligines abstergente, gaudet, non modo redditur clarior, sed & præsentè pabulo, durabilior: prohibita verò aëris ventilatione, paullatim fumus & vapores lucem imminuunt atque exstinguunt. Pariter uti flamma, ita etiam sanguinis vita eventilationem requirit, in quem finem præter majora spiracula, innumera quoq; minora, quæ poros cutis, ubiq; per totum corpus hiantes, nominamus, fuligines sive effluvia à sanguine æstuante decidua copiose emittunt: Quam emissionem vaporum alias vocant *Transpirationem*; Germani dicunt: *Die Berrauchung oder Ausdampfung des Leibes* / sive ex *Illustri Digbeo, eine Ausstossung der Geisterlein.* vid. *tractat. de symp. p. m. 23.* Qui plura hac de re desiderat, consulat *Willisium in de Sang. accens.* quem etiam nos Ducem secuti sumus.

Nec dubitare nos faciet, aut à nostra sententia divellet ob-
jectio, quam nobis obvertunt adversarii. Dicunt enim: Si se-
cundum nostram sententiam anima sit ignis, sequi debere, illam
non solum esse calidam, sed & lucidam, adeoq; posse videri, cum
omnis ignis de se & sua natura calefaciat & luceat. Verùm di-
co (1) ut in se anima Brutorum, utpote ignea. sit lucida, con-
stat enim particulis sulphureis atq; inflammabilibus, non posse
tamen videri propter summam tenuitatem, qua gaudet. Inde
fit, ut in corde & vasis adpensis, quasi in receptaculis ferè clausis,
ardeat, nec clare efflagret, sed forsan sub fumi sive vaporis aut
halitus specie permaneat. Dico (2) licet sanguis sit apertè flam-
mans & ignitus, posse tamen fieri, ut fulgor ejus, utpote tenuis-
simus à visu nostro non percipiatur: prout maximè sereno die
nec ferrum candens, nec ignes fatuos, nec ligna putrida, nec
alia multa noctu lucentia conspiciamus. Dico (3) in pluribus
casibus animam hanc Brutorum igneam etiam manifesta lucis
indicia dedisse. Testatur certè *Willisius alleg. loco*, in quibusdam
sanguine calido & vaporoso præditis, cum vesperi cubitum itu-
ris vestes interiores prope ignem aut lucernam exuerentur,
flamam pertenuem & candentem emicasse. Testatur etiam
D. Frid. Slare, Anglus. (vid. *Ephem. Lipsiens. p. 283.*) ex *D. Croon*,
populari suo, sæpius se audivisse, quod, corpus suum indusio re-
centi & calefacto fricando, utrumq; lucere faciat: Et *Nobilem*
quendam Bristolensem sibi retulisse, quod tibialia sua post diu-
turnam deambulationem sæpius luceant: Ut silentio nunc præ-
tereamus scintillulas, ex equorum júbis, feliumq; & aliorum cali-
dorum animalium pellibus subcussis emicantes; & phosphori,
pronuper ex urina parati, &, *laudati Slare judicio*, melius adhuc
ex ipso sanguine parandi, flammantissimam substantiam.

XII.

Nec II. nostræ sententiæ §. 7. propositæ obest, quod cum
Aristotele (lib. de Respirat. c. 1.) dicant, non omnia animalia re-
spirare, ut pisces, adeoque falsum esse, respirationem ad viven-
dum esse necessariam. Sed Resp. dist. Si vox respirationis sumat-
ur pro intromissione & emissionem aëris per os & nares mediantibus
pulmonibus, verum est pisces & alia aquatilia non respirare:

Quod si verò vox respirationis fumatur pro qualicunq; admissione & expulsionem reciproca aëris, quocunq; modo aut organo deinde id fiat, negamus *Aristot.* conseq. (1) Quia pisces vesiculam quandam habent aëre, cum ipsis vesiculis paulatim augete, refertissimam, quem omnes cum nostro aëre habere communes proprietates, experimenta docent. (2) Non adeò absurdum est, immo maxime probabile aërem in aquis latitare, non quidem in magna copia, sed paucum, quod videre est in aqua, intra recipiens exhaustum, sua sponte quodammodo ebulliente. (3) Dicimus, secundum *Aristot.* hypothesein necessario aërem debere esse in aqua: statuit enim aquam vulgarem esse corpus mixtum, mixturam autem non esse aliunde, quam à quatuor Elementis, E. si aqua habet reliqua Elementa admixta, habebit quoq; necessario aërem. Ὅπερ ἔδδ δείξαι.

XIII.

Nec III. Nos à principali nostra sententia dimovet *Adr. Heereboordius cum suo Pembelio*: quando inquirunt: *Animam Brutorum non esse substantiam corpoream, quia materiam & corpus informat*, h. e. omnes materiae partes ita permeet, atque omnibus vel etiam minimis ita se immisceat, ut unicuique essentiam, & vires speciei convenientes tribuat: Ita enim verbum informare explicat. vid. *Mel. Philos. p. m. 165.* indeq; concludit, si animae brutorum essent substantiae, & quidem corporeae, dimensionum penetrationem, naturaliter impossibilem, fore admittendam, quo eodem argumento *Aristoteles* quoque utitur *Lib. I. de Anim. cap. 5.* Resp. Concedendo quidem, formas omnes corporis partes organicas & inorganicas plerasque, ut nervos, musculos, aures, sanguinem &c. permeare, atque omnibus se permiscere, ut unicuique vires speciei convenientes tribuant: inde tamen nondum sequitur, de essentia quasi hujus informationis esse, etiam minimas istarum partium atomos permeare: Non sequitur, inquam, sed sufficit, hisce eam suis partibus contiguam & permixtam esse. Quemadmodum e. g. aër folium flatu in organum pneumaticum intromissus hoc quasi animat, omnes ejus fistulas & partium organicarum cavitates sensibiles, non verò harum portiones minutissimas perflando; aut ut idem aër intra poros panis, ungulae alcis, eboris fossilis &c. absque dimensionum

num penetratione continetur, pressusq; à superinfusis aquis bullatim emergit.

XIV.

Fallit igitur hæc *Aristotelis* consequentia, qua concludit: *Cum anima sit in omni corpore sentiente, necesse esse, in eodem duo corpora esse, si anima aliquod corpus esse ponatur.* vid. *Lib. I. de Anim. cap. 5. p. m. 474.* Nam non ita omnes corporis partes constipatæ & repletæ sunt, ut ne tantillum quidem spatii superfit, quo se spiritus possint recondere. Quin statim una cum esculentis & potulentis, ignis vitalis & spiritus animalis restaurandi futuræ portiones plurimæ in stomachum, ex hoc in viscera, ex his deinde ad cor & cerebrum, ex his in arterias & nervos, & ita per totum corpus circumferuntur. Exemplum probe notandum observavit *Clariss. Thom. Willisius* in quodam suorum amicorum: Is enim, cum multo vino hausto paullum inebriatus incalesceret, sancte juravit, se etiam nocte intempesta literas legere per aliquod spatium potuisse. Ex quo patescit, spiritus statim una cum chylo per totum corpus derivari.

XV.

Nec IV. metuendum est, carere hac ratione animam formarum illo privilegio, quod sint fons & origo omnium actionum. Resp. Niti hanc sententiam falso principio, quasi omnis materia, quæcunq; demum sit, esset purum putum principium passivum & meræ passionis radix: prout etiam *Ebelius* statuit, vid. *Aphor. Met. Disp. XI. Reg. 3. p. m. 186.* Probant quidem, formas debere vires agendi ex se habere, nec debere iis quicquam esse prius. Sed negamus utrumq;: sicut enim materia animalis est corpus organicum; ita corpus illud subtile inorganicum, quod per universa organa effunditur, vires agendi ab alio potest habere, & tamen esse hujus compositi principium constitutum, cum in hoc saltem composito nihil sit prius.

XVI.

Nec V. nos terrebit autoritas *Aristotelis*, qui *Lib. I. de An. cap. 3.* sententiam, quæ animam faciebat numerum se ipsum moventem, impugnaturus, negat, animam per se esse mobilem, ita enim ejus verba: *ἄλλ' ἐν ταῖς ἀδυνατίαις τὸ ὑπάρχειν αὐτῇ κίνησιν.* Editio nostra *Melanchth.* reddit: *Unum id esse quoddam*

videtur eorum, quæ nequeunt esse, motum ipsi (animæ) inesse atq; competere. Unde quis cum ipso inferret: Quicquid per se mobile non est, illud non est corpus. Sed anima per se non est mobilis E. Sed Resp. negando minorem: quam probat *Aristoteles*. Quia si anima mobilis esset, transferretur aliquando ex corpore vel tota vel ex parte. Quod si concedatur (uti etiam nos id successive fieri concedimus) porro infert, egressam iterum ingressuram aliquando, & consequenter animalia è morte resurrectura. Ita enim clare, Quod si, inquit, id fit, (ut locum anima mutet) fieri quoq; potest, ut egressa corpus rursus ingrediatur. Ex quo fiet, ut animalium ea, quæ mortem obierunt, resurgant. Sed negamus consequentiam. Quemadmodum enim ignis à candelæ flammantis ellychnio ob levitatem suam recedens, h. e. ab ambiente aëre graviore expressus, eo non redit, nec redire potest, ab eadem causa, sc. quæ ipsum expresserat, prohibitus: sic aura illa tenuis & levissima, quæ brutorum animam constituit, in derelicta semel corpora ne redeat, eaq; de novo animet & gubernet, verendum non est.

XVII.

Nihil deniq; VI. obest nostræ sententiæ, si exceperint contra nostram §. 3. adversarii: A quo dependent nobilissimæ illæ actiones, sensuum, imaginationis, memoriæ &c. illud non est corpus: sed ab anima Brutorum &c. E. Verùm limitabimus majorem, & res erit clara. A quo dependent tales operationes cum judicio, conscientia, *λογιστικόν* &c. illud non est corpus. Sed ita limitata majore, negamus minorem, nec alium brutis sensum, nec aliam imaginationem aut memoriam concedimus, quam quæ judicio, conscientia, *λογιστικόν* &c. sit destituta. Has tales verò functiones spiritus animales, nullâ aliâ ipsis contra distincta anima, obire posse, tamdiu credimus, donec oppositum nobis evidenter demonstratum fuerit. Quod ipse quoq; *Adr. Heerebordius* concedit, atque eo ipso ostendit, veritatem opprimi non posse. Dicit enim expresse & sobrie admodum, loco superius jam allegato: *Sensationis omnis non tantum organum, sed & primum principium esse spiritus animales, nec ullam aliam substantiam esse superaddendam, quæ velut anima hisce spiritibus tanquam organis utatur.* Quæ ipsissima est nostra sententia, adeoq;

ver-

verbis saltem discrepat, re ipsa autem penitus nobiscum sentit, & sic animam brutorum vere corpoream statuit. Reliquas, quas nobis ex *Heereboordio* quis formet, objectiones, partim ipsi, tanquam leviculas, remittimus: partim conflictui nostro reservamus. Gratias interim DEO pro concessis viribus agentes submissas.

F I N I S.

P A R A D O X A

Exercitii tantum gratia defendenda.

I.

Animalium brutorum quiddam in Novissimo die resurre-
cturum esse, nec impietas est credere, nec etiam Scriptu-
ræ S. contrarium.

II. Mirari subit, cur *Persarum Magi* ex solo naturæ lumine
illam naturæ alias impossibilem mortuorum resurrectio-
nem cognoverint, quæ tamen RATIONI videtur esse
ridicula, Aët. 17. 18, 20. immo *Insania*. Aët. 26. 24.
vid. *Diog. Laërt. Lib. I. de vit. Phil. p. m. 6. F.*


III. *Μετὰ ψύχωση*, quam alias omnes rejiciunt, aliquo modo
statuere, nihil esset absurdi, accedente præsertim Scriptu-
ræ autoritate. vid. *Jer. 5. 8. & 2 Petr. 2. 22. &c.*

IV. Non adeo inepta forte est eorum sententia, qui animam ho-
minis Rationalem ab ejusdem forma distinguunt.

V. Non adeo absurde locutus mihi videtur *Socrates* quando
Naturalem Speculationem nullum fructum ferre posse,
eandemq; ad officia vitæ nihil esse necessariam statuit, ac
propterea *Ethicam* primus in-vexit. vid. *Diog. Laërt. Lib. II. p. m. 37. F. vit. Socr.*

VI. Excusari potest *Lippius*, qui animas Brutorum in extremo
demum judicio interire statuebat. teste *Coll. MSt. DN. M. Feslini, p. m. Patroni mei desideratissimi p. m. 76.*

Qui



Qui brutas animas humanæ opponere menti
egregiè nôsti, dignum homine edis opus;
Dignum etiam haut parvo justicijusq; favore:
quem procurabit, credito, Musa Tibi.

*Deproperatis bisce lineolis applaudere
DN. RESPONDENTI suo
Dissertationis hujus Autori Doctis-
simo voluit*

PRÆSES.

IN arma christianus, eheu! dum ruit
Fere orbis universus, atq; in propria
Potius cruentum stringit ense viscera,
Quàm Turcicas hoc Barbarorum deleat,
Cum nomine ipso, copias, Te sandior
In docta, Amice, prælia ardor abripit.
Pugna ergo, tanti umbone tutus Præsidis,
Feliciter; perenniorem isthæc Tibi
Arena spondet Lauream, quàm si tuas
Vel mille sanguine tingerent ci ves manus.

*Ita gratulabundus applaudebat
amicissimo Dn. Contubernali*

Joh. Casimirus Taubenheim/
Med. Cand.

